

illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiae, ut in pastu circumspiciant, ut in cubilibus delitescant. Atque illa mirabilia.

Cap. L. Quid ea, quae nuper, id est paucis ante seculis, medicorum ingeniiis reperta sunt? vomitione canes, purgatu autem alvos ibes Aegyptiae curant. Auditum est, pantheras, quae in barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere; quo quum essent usae, non morerentur: capras autem in Creta feras, quum essent confixae venenatis sagittis, herbam quaerere, quae dictamnus vocaretur; quam quum gustavissent, sagittas excidere dicunt e corpore. Cervaeque paulo ante partum perpurgant se quadam herbula, quae seselis dicitur. Jam illa cernimus, ut contra metum et vim suis se armis quaeque defendat. Cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones; aliae fuga se, aliae occultatione tutantur; atramenti effusione sepiae, torpore torpedines. Multae etiam insectantes odoris intolerabili foeditate depellunt.

Cap. LI. Ut vero perpetuus mundi esset ornatus, magna adhibita cura est a providentia deorum, ut semper essent et bestiarum genera et arborum omniumque rerum, quae altae aut radicibus a terra, aut stirpibus continerentur. Quae quidem omnia eam vim seminis habent in se, ut ex uno plura generentur: idque semen inclusum est in intima parte earum baccarum, quae ex quaque stirpe funduntur: iisdemque seminibus et homines affatim vescuntur, et terrae ejusdem generis stirpium renovatione complentur. Quid loquar, quanta ratio in bestiis ad perpetuam conservationem generis earum appareat? Iis animantibus, quae lacte aluntur, omnis fere cibus matrum lactescere incipit; eaque, quae paulo ante nata sunt, sine magistro, duce natura, mammas appetunt, earumque ubertate saturantur. Atque, ut intelligamus, nihil horum esse fortuitum, et haec omnia esse opera providae sollertisque naturae: quae multiplices fetus procreant, ut sues, ut canes, his mammaram data est multitudo; quas easdem paucas